

Adelasia e Ruggero

Arenga 003

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Adelasia e Ruggero

Arenga 003

1112, Giugno 12

Elementa apicum

Elementa apicum ob id maxime inventa sunt, ut tenacis memorie thesauro condatur, quod opere geritur, Dei ergo fidelium bene gesta tanto opere premium est stimulo memorieque tradi futurorum inditio, quia nemo accendit lucernam et in abscondito ponit neque sub modio, sed super candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant. Dum igitur unusquisque catholice fidei cultor in hoc fragilis vite moratur tabernaculo, vel, ut verius dicam, ergastulo, summa debet elaborare diligentia, ne caducis contentus et attentus honoribus, neve fallacibus spe accomodata divitiis, sanctorum privetur consortio, qui terrena omnia celestium preposuere desiderio; sed quia active curis detentis vite speculative non possumus ex integro operam dare, oportet nos eiusdem sectatoribus pro posse nostro concurrere tam iustitie rectitudine quam opum a Deo nobis commissarum largitione, ut nostrorum sarcinam facinorum queant alleviare. Si enim temporalium bonorum que ex Dei gratuito beneficio recepimus, fideles dispensatores inventi fuerimus, procul dubio eorum, que oculos non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, participes et heredes erimus, attestante apostolo: Si filii et heredes et cetera. Ad quod nos ipse Dominus, medicina peccaminum, indultor criminum, talia nobis dedit precepta dicens: Thesaurizate vobis thesauros in celo, ubi nec erugo, nec tinea demolitur, nec fures effodiunt, nec furantur, et item: date elemosinam, et omnia munda sunt vobis.